



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Fuldensivm Antiquitatvm Libri III.**

**Brouwer, Christoph**

**Antverpiæ, 1612**

Capvt XVI. De proëdriâ Abbatum Fuldensium, & sessionis honore.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39712**

perij Romani Augustam vel Reginam diademate cingi, aut indui purpurâ, soleinni ritu contingeret, Abbatem tunc id habiturum muneris, vt diadema coronamve pro more deponat, manûque teneat, & rursus eandem vertici reddat. Vnde & expressè Carolus, quod aliùs repetens non facilè vsurpatum inuenias, Henricum ferè salutatur, *Serenissima Anna Romanorum Imperatricis semper Augustæ & Bohemiæ Regina, consortis nostræ charissimæ, Archicancellarium.*

*Augusta Imperatricis diadema tractandi.*

## CAPVT XVI.

## De prædria Abbatum Fuldensium &amp; sessionis honore.

CETERVM, quia de sessionis & sella fastigio Fuldense nomen carpi, & ambitionis nubilo obfuscarî solet, operæpretium in huius moris antiquitatem diligentius inquirere, & liberioris oris calumniam, maiorum testimonio castigare. Primi itaque auorum patrumque memoriâ, honorem eum bonis artibus sumptum, sugillare ausi sunt, Albertus Krantzius, præcipitis censuræ scriptor, & Sebastianus Munsterus, religionis optimæ bis desertor. Hi verò, cum vno fermè ore conuentum illum Moguntiacensem describunt, quo Fridericus Ahenobarbus Henricum filium Constantiæ Neapolitanæ vel Siculæ iunxit, ipsâ Pentecostes die anni MCLXXXIV. graue memorant honoris certamen istuc inter Philippum Colonensem Archiepiscopum, & Conradum Abbatem Fuldensem, exarsisse; quo principum animis in diuersa tractis, omnia verecundiæ & modestiæ iura insuper habita, Comitialis honor confusus, & à monacho occupatus sit. Quippe dextrum Friderici Imperatoris tegere latus Archiepiscopo Moguntino, sinistrum Agrippinensi; huius loco recipi voluisse Abbatem, & repulsâ notatum, abire coactum Colonensem: quare & indignantis Archiepiscopi orationem fuisse: *Cedo Abbati, Archiepiscopus; monacho, princeps elector; sed, bonâ veniâ vestrâ, cætum dimitto.* Exoratum tamen, calenti spatium dedisse animo; &, quo tutior aduersus Fuldensem staret, ingressum quatuor millium armis stipatum.

*Vindicata prædria Abbatum Fuldensis.*

Krantz. lib. 6. Saxon. cap. 46. Cosmographie lib. 3. in German. Moguntini conuentus acta Frid. Ahenobarb. Imp. 1181.

*Certamen inter Philippum Colonensem Archiepisc. & Conradum Fuldensem Abbatem.*

*\* Nouitium & non eius qui præcipit.*

I

Epipho-

roveri  
antiquitate  
Fuldenses.

STV

9

Epiphonema Krantzij est: *Væ tibi superbia; quæ in calis nata, cum auctore tuo ad infernum demergèris, semper excrucienda.* Causam hanc disceptare serus æstimator, fortè nullus aggrediar. Velim interim, quos dixi Scriptores, paulò diligentius in antiquos mores huius ecclesiæ & iura inquisisse; moderatiùs, opinor, volantis calami spicula, obstrigillando terfissent. Enimuerò retinendæ priscae maiestatis grauitatisque, populos, nationes, hominum cœtus atque sodalitates, tantam habere curam quotidie cernimus, vt paulò minùs interdum pro fortunis ac patriâ, quàm pro auito decore & nominis gloriâ, publicè decertent. Nec scisse ambigamus, cœnobij Præsides, optimis adhuc morum disciplinis, quid verecundia, quid religiosa modestia posceret: quiq; fines legesve, palàm seu priuatim, colendi officij in imperio existerent. Sed nimirum, publica instituta & sui monasterij ornamenta olim à maioribus, Regum Principumque concessu tradita sibi & relicta, priuatâ humilitate potiora duxerunt, eaq; illibata, nec abrupta, ad posteros deriuanda. Itaque bonus arbiter in hac causâ, vel aduersariorum confessione, ipse Imperator fuit: qui, vbi Colonensem, si subsellio detraheretur, pro inglorio habiturum, facilè intelligeret, rectè tamen ac ordine Abbatem eum capturum fuisse locum, pronuntiauit; cum id esse consentaneum diceret, antiquis reipublicæ moribus, factumq; defenderent spectati imperio Principes, & pro Abbatis honore loqueretur multis retrò annis laudata consuetudo. Venerationem igitur, & honorati iudicij potius laudem Conradus mereatur; qui, non sine rubore, vt ipsi aiunt, inferiorem locum, pacis publicæ causâ, tenuit, quàm Philippus Archiepiscopus; qui comitia deferens, non ante se reddere procerum conspectui sustinuit, quàm etiam illiberali causâ, alieno loco, gloriam accersisset. Hinc iam, si lectorem ad superiorem ætatem quoque deduxero, & honorificam hanc loci proëdriam armis & sanguine etiam defensam, ante centum annos, exemplo licet parum probabili, ostendero, an adhuc recentiorum vanitati priscorum concedent iura, & parum explorata ratio conuelleret maiorum fidem? Sed ipsum Lamberti chronicon adire te malo ad annum MLXIII. vbi exponit, quæ Goslarienti conuentu, Widerado Abbati cum Hecelone Hildeshei-

*Narrationis  
vulgaris cō-  
futatō.*

*Imperator  
pro Conrado  
Abbate pro-  
nuntiauit.  
M. SS. Fuld.*

*Mos etiam  
et Principū  
sententia illi  
fauit.*

*Sessionis ho-  
nos cruentis  
certamini-  
bus defensus,  
ritu non lau-  
dato.*

desheimensi Episcopo lis intercesserit. Neque enim est mearum partium, casum illum funestum memoriâ repetere, vel oculis legentium subiicere, quem, vt in perturbato Germanici regni statu, Rege puero, & in paucorum potestatem redacto, Lambertus ore tam libero, quàm sano iudicio exequitur: traditque Abbatem Fuldensem vndique istic oppugnatum oppressumque sic abiisse, vt pecunia tutaretur quem nec lex nec innocentia tueri poterant: & præter atrocitatem rei, *odium quoque grauasse nominis monachici, quod inueterata malitia homines seculi* (verba vetusti scriptoris sunt) *semper obfuscare & opprimere conantur*. Reperio denique in antiquis huius Ecclesiæ monumentis, Berthoo Abbati, qui anno salutis MCXXXII. præfuit, negotium item fuisse cum Archiepiscopo Magdeburgensi de excellentiâ sedis; arbitroque Lothario Imperatore, & Pontifice Innocentio, honorem ei pristinum, postpositâ Archiepiscopi dignitate, adiudicatum. Res Romæ gesta est, quo tempore Lotharius ab Innocentio Imperij diadema accepit. Vetus scriptor ita: *Ipso eodem die consecrationis Imperatoris & Imperatricis, domino Apostolico & ipsis confidentibus, orta est dissensio inter ministros ipsius Abbatis, & Archiepiscopi Magdeburgensis, de primatu sedendi; cumque pro hac re vicissim propè vsque ad effusionem sanguinis alterearentur superueniente Abbate, & iustâ defensione pro huiusmodi rationem reddente, fauente sibi Imperatore, vt ab initio Fuldensis Ecclesiæ omnibus antecessoribus suis concessum erat, primatum sedendi, inuito Archiepiscopo, obtinuit*. Neque verear tam eminentis fastigij splendorem, beati Bonifacij memoriæ, aut meritis tot Præfulum, qui ex Fuldensi monasterio ad vrbis Moguntiaci cathedram Germaniæ primam euecti, datum olim, asserere. Quippe, cum Fulda mater & alumna; ipsique cœnobiarum parentes quidam existerent eius sobolis, quæ, felicibus auspiciis ad Ecclesiæ Moguntinæ totiusque Germaniæ decus enata; merito hanc vtrique parenti maiores, siue Cæsares siue Pontifices, refudisse gratiam; vt, qui incunabulis hauriendæ pietatis fuissent proximi, nec sedibus vsurpandi publicè honoris forent distincti. Id quod in Eistatensis Episcopi prærogatiuâ cerne-  
re licet; qui ob D. Willibaldi cum S. Bonifacio in religione procurandâ perenne consortium, præ ceteris Magontinæ se-

*Idè sub Berthoo Roma oppugnatus; conseruatisque aduersus Magdeburgensem Archiepiscopum,*

*ab Innocentio Papâ & Lothario Imp.*

*Iuris huius, sessionisque origo probabilis.*

*Ab Episcopo Eistatensis simile. Philippus Episc. Eistat. de S. Walburg. Tom. 4. antiq. Lect.*

roveri  
antiquitate  
idenses.  
STV  
9

dis suffraganeis, Metropolitanis sui dextram tegere, & ceu cancellarius & prolocutor, eius quoque vices gerere; ac denique peculiari ornamento, quod Rationale vocant, hanc in rem insigniri solet.

## CAPVT XVII.

*Qui ex Abbatum numero infulis clari, spectatiq̄.*

**H**VNC locum strictè cursimq̄ue ingrediar, indicasse contentus hæc ornamenta; certus, non veris suis coloribus expressisse, cum iusti tituli volumen hæc tam amplæ laudis materia sibi deposcat. Nimirum semina spargimus, quæ in spicas olim & culmos, fertilioribus ingeniorum aruis, adolescent. Ac nouem quidem Moguntiacensis Ecclesia nobis offert, quos illa quantos fastigij & rerum gestarum magnitudine posteris exhibet & ornat, tantos Fuldenis monasterij gymnasium vitæque disciplina olim ei tradidit præstititque. Horum post S. Bonifacium, cui flagrantissimæ gloriæ palma debetur, longè primus

*Qui ex Abbatibus Archiepiscopi in sede Moguntinâ Pontificium tenuerunt.*

I.  
Fuld. MSS.  
& documenta  
Annalium.

**H**AISTOLFVS sæculo Christi inchoante octauo sub DCCCXIII. in Moguntinam sedem ex Fuldensi prouectus, cuius vsq̄. ad eò in vitâ tenax extitit, vt præter artificiosam, quam in omni vitâ cum altrice religione societatem retinuit, & intimam cum Aegile Abbate necessitudinem, magnis quoque templorum & basilicarum surgentibus operibus apprimè fauerit, easque consecrando dicandoque præfens cum Chorepiscopis honestarit.

II.  
Rudolph.  
Et nar. chic.  
Lupus epistolâ 40.  
Annal. Frac.  
Pithœani.  
Marian. &  
M. SS. acta.

**H**RABANVS Luduici Pij Augusti Secretarius, etsi doctrinæ ingenti famâ, rebusque monasterij, tot ecclesiis erectis, & Diuorum pignoribus vndique illatis, in immensum auctis, factur honoris gloriæque, tranquillo vti poterat; incursum tamen siue suorum, siue otij cupidine, nam vtrumque traditur, curas honesto secessu commutauit, sono inde virtutum ab Luduico Germaniæ rege excitatus, & è montis S. Petri monasterio in regiam translatus, Moguntia pro Otgario anno DCCCXLVII. v. Kalend. Iulij, Archiepiscopus creatus est. Hic quid Luduici secundo